

**05
A
401**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-583903-p0002-6

DFG

18

CENTURIA
POSITIONUM MEDICARUM
De
MELANCHOLIA
HYPPOCHONDRIACA,

Quam
CHRISTO ARCHIATRO COELITUS

ADSPIRANTE

Consensu Amplissimæ & Honoratissimæ
Asclepiadæ Familie

In Illustri Academia Wittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Clariſſimi & Excellentiſſimi Viri,

Dn. MAURICII BLUMII, Philosophiæ
& Med. Doctoris eximii, Fautoris & Promotoris
sui plurimū observandi

Placide & publicæ examinationi submittit

JOANN-ALBERTUS STEININGER Ratisponensis


In Auditorio Medicorum horis matutinū ad diem 29. Xbrī.

Anno 1625.



WITTEBERGÆ,
Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI.

21



MAGNIFICIS
Nobilissimis & Amplissimis
DOMINIS CONSULIBUS,

Omnibusq;
Inclytæ & Liberæ Imper. Ratisponensium
Reipub. Ordinis Senatorii,

Viris gravissimis & Prudentissimis
Dominis Mæcenatibus & Patronis suis
beneficentissimis



05 A 401

Submissæ observantie

&

debitæ gratitudinis ergo

hoc tentamen Medicum

Offert

Joann-Albertus Steininger
Ratisponensis Aut. & Reff.



THESES I.

Aria sunt morborum & symptomatum ge-
nera, quorum alia mitiora, alia graviora: in poste-
riori genere ea exuperare videntur, multoq; atro-
ciora esse, quæ arcem corporis nostri, caput vide-
licet invadunt, sensibusq; internis vim faciunt.

2. In primis vero quae rationis usum perfectum nobis adiungunt, quia soli homines sumus, & a brutis animantibus distinguimur, mihi gravissima videntur.

3. Etenim cum principes sensus sint tres, nimirum sensus communis, phantasia & memoria ; eorum cuiuslibet actiones aboleri, imminui & depravari possunt, præter memoriam, quæ depravari nequit, quia memoria tantum patitur non agit.

4. Quibus omnibus in homine additur ratiocinalis facultas, cuius similem non licet reperire in ullo alio animante, ac propterea nullum aliud animal ad hoc summum nobilitatis dignum, in quo homo collocatus est, aspirare potest.

§. Hæc si lædatur, parit symptomata, quæ omnino magnam omnium merentur commiserationem.

6. Etenim aboleri potest, ut in ἀνοίᾳ; imminui potest, ut in deliriis; imminui & depravari, ut in stultitia.

7. Non quidem per se lædi ullo modo potest ratiocinatio, sed tantum per accidens, quatenus videlicet imaginatio læditur, cuius officium est phantasmata speculari, eaque ratiocinationi offerre, si ergo imaginatio nulla phantasmata parit, etiam ratiocinatio suas vires planè exerere nequit; si pauca parit, ratiocinatur pauca de iis ratio; si depravata objicit, fieri non potest, quin & ipsa ratiocinatio circa has species occupata deprivetur.

8. Atque tam arctè hæ duæ facultates inter se cohærent, ut vix ullo modo una lædi possit, quin etiam altera lædatur, ita quidem, ut ratiocinationis læsio signum sit læsa imaginationis; etsi hæc per se lædatur, altera per accidens.

A 2

Qua-

9. Quapropter utriusque facultatis depravationes omnes generali etiam delirii nomine comprehenduntur, & omnes, qui pravè ratiocinantur & imaginantur, in genere etiam delirare dicuntur.

10. Sub hoc delirii genere reponitur Φρενίς, μελαγχολία, mania, ὁδόφροσινη, quæ etiam ὁδόφρος, ἡγελητός dicitur.

11. Distinguuntur communiter omnia deliria in ea, quæ sunt sine febre, & ea, quæ sunt cum febre.

12. Sine febre sunt Mania & Melancholia, vel simplex delirium ὁδόφρος.

13. Cum febre aliud est mitius, ut illud, quod sequitur paroxysmos & exacerbationes febrium ardantium: aliud gravius ut Phrenitis, quæ est delirium perpetuum cum febre ex inflammatione membranarum cerebri.

14. Melancholia dicitur Διπό τῆς μελαίνης χολῆς, nomen suum causæ acceptum referens. Galen. 2. meth. med. c. 7. 3. de locis affectis c. 7.

15. Hujus Melancholiæ, quæ à succo atro vel Melancholico ortum habet, quando videlicet is peccans, seu in cerebro, seu in toto, seu in hypochondriis, seu in parte quadam, principes animi functiones depravat, variæ sunt differentiæ.

16. Quædam enim desumuntur à forma ipsa delirii, quæ multiplex & varia pro phantasmatum varietate, quæ à depravata imaginatione excitantur. Etenim quidam Melancholici intra se & cogitatione delirant, longasque absurdarum cogitationum telas texunt, & proinde omnia horribili silentio damnant; alii stultâ loquacitate delira, ridicula, magnifica, maledica gariunt: alii & verbis & factis delirant. Et hæc omnia vel μετὰ γέλωτος, vel μὲν αὐγδῆς peragunt.

17. Ut ita hæc deliramenta melancholica ferè infinita sint, & pro ratione constitutionis ægri valde variata. Ut enim vinum potentum Naturæ & moribus, ita sanè Melancholia laborantium constitutioni sese accommodat, ut ex Aristot. habet Fernelius lib. 5. de partium m: c. 2.

18. Sed hæc differentia exiguae utilitates in methodo mendendi habet, idcirco multò commodior est hæc, quando Melancholia

Melancholia distinguitur ratione situs ipsius causæ, in Melancholiā per idiorūθian, & per συμπάθian. Hæc iterum in Melancholiā per consensum totius, per consensum partis, & in Melancholiā hypochondriacam.

19. Per consensum totius fit, quando humor Melancholicus in corde & toto corpore abundat, ut per venas & arterias cerebro communicari possit. Per consensum partis, quando ex unâ aliquâ parte vitium cerebro transmittitur.

20. Etenim excitatur quædam Melancholia per consensum, cuius causa latet in utero & vasis spermaticis, quæ uterina Melancholia appellari potest, hypochondriacæ imprimis cognata, ut etiam à solerte Medico vix discerni queat. Gal. 6. de lo. aff. c. 5. Hipp. lib. de morbis Virgin.

21. Deinde observavit Horatius Augenius (ut refert in Epistolar. Medicinal. tomo 3. lib. II. epist. 2.) in puerο quodam 16. annorum frigidam & malignam auram ex utroque pede ad cerebrum ascendere, unde statim delirus evaserit, Parentes & notos non agnoverit, blasphema locutus fuerit, aliaque symptomata conjuncta habuerit, omnia tamen sine furore.

22. Nos in præsenti missis cæteris speciebus solam Melancholiā hypochondriacam brevibus aggrediemur.

23. Dicitur Melancholia hypochondriaca, quod delirium hoc fiat per consensum ab hypochondriis, Arabibus vocatur Mirachialis à Mirach, quod totum abdomen significat; Græcis Φυσώδης, id est, flatulenta, quia plerunque ventriculus & cavitas propè lienem flatu copioso abundat.

24. Hypochondria alias strictè & propriè, alias latè & impropriè dicuntur. In priori significatione per Hypochondria denotantur tantum ea, quæ sub costarum spuriarum cartilaginibus, & extremum ossis ensiformis extra diaphragma latent, suntque duo, dextrum & sinistrum, illud Epatis, hoc lienis regionem occupat. Media verò pars, quæ est circa scrobiculum cordis, iterum alio nomine Epigastrii videlicet atque præcordiorum notatur. Fernelius Physiol. lib. I. cap. 7. Bauhinus lib. I. c. 1.

25. In posteriori significatione interdum totus venter in-

ferior ab osse ensiformi per utrumque latus ad coxendices usque intelligitur Hippocrati 4. Aphorism. 73. ut habet Hollerius in ejus commentario.

26. Neque etiam hoc loco propriissime intelligi debent, siquidem Hypochondriorum nomine non tantum Epatis & Lienis regiones intelligimus, sed mesenterium, pancreas & omentum, quas partes frequentissimi venæ portæ ramuli percurrent, superaddimus, in quibus scilicet non raro fons mali, de quo agimus, altè delitescit; atque hinc cerebro vaporess atri communicantur. Hipp. 6. Epidem.

27. Porrò melancholiam hypochondriacam definit Excellenissimus Sennertus, quod sit delirium non continuum sine febre, cum timore & tristitia sine evidenti causâ, ex vapore, à melancholia p. n. in hypochondriis cumulata, elevato, & cerebro communicato, spiritusque animales inquinante, ortum habens.

28. Genus hic, quod est delirium non continuum, habet rationem formæ, quemadmodum in accidentium definitionibus fieri solet.

29. Subiectum hujus symptomatis statuimus cerebrum 6. aphor. comment. 53. & quidem ut pars similaris est. 3. de loc. aff. c. 6. Causa verò, fomesq; mali latet in hypochondriis.

30. Hic autem cor simul affici patet, cum mœror & tristitia primariò in corde sita sint, atque non raro etiam in hac melancholia specie lipothymia depravationi principum facultatum sic conjuncta, quod certè symptoma nulla ratione cerebro attribui potest.

31. Proxima verò & continens causa est vapor melancholicus cerebro communicatus, spiritusque animales inquinans & obfuscans, & mœrorem ac tristitiam inducens.

32. Generatio autem hujus vaporis melancholici se ita habet; Humor melancholicus p. n. in liene & ramis Venæ portæ continetur, & ibidem colligitur ob varias causas.

33. Collectus ita & retentus humor iste in hypochondriis à calore in vaporem resolvitur melancholicum, qui altiora petens in cerebrum subvolat.

34. Ele-

34. Elevatus hic vapor, spiritus animales obfuscat, tenebrisosq; reddit & conturbat, ut phantasia his utens spiritibus, nigra, atra & tenebricosa phantasmata effingens & recipiens, ea ita ratiocinationi offerat, ut circa ea delirare cogatur.

35. Quoniam verò phantasma hoc per spiritus melancholicos ratiocinationi oblatum, tenebricosum & opacum est, mœtorem & tristitiam ægris incutit.

36. Ac proinde tristitia mœtorque proximè provenit à phantasmate & spiritu melancholico, qui non tantum quoad primas qualitates frigidus & siccus est, sed etiam quoad secundas ater & opacus.

37. Negare enim nolumus, quod mœtor & tristitia primis qualitatibus seu frigiditati, seu calori & siccitati tantum ascribi non debeat, cum hæ qualitates ad inducendum hunc affectum sint insufficientes; sed opacitas, nigredo, & melancholica spirituum dispositio, qua mentem perturbare, & naturalem spirituum animalium luciditatem & puritatem vitiare possunt, accedat necesse est. Calidum enim & frigidum per se, calidos quoque & frigidos efficit spiritus, & propterea non sequitur eisdem statim fieri pueros, impuros, tenebricosos, lucidos, &c. Quemadmodum etim colores rerum non ex primis qualitatibus, sed aliis deduci oportet; sic etiam hic fieri necesse est. Proinde ut spirituum puritas, luciditas & subtilitas animum hilarem & alacrem reddit, ita crassities & impuritas mœstum & tristem facit.

38. Et hoc forsitan erit, quod Platerus per occultam qualitatem explicate voluit. Etenim non tantum à primis qualitatibus hæc obscuritas phantasmatum & spirituum provenit; idcirco ad significandam hujus symptomatis in cognoscenda & curanda causa difficultatem, vocabulo duriore usus est, sed præter necessitatem.

39. Est quidem interdum hoc delirium majus, nec semper intra mœstia & timoris limites consistit, sed nonnihil furoris interdum admixtum habet, quod autem humor pure melancholico, qualis in melancholicis affectibus his esse solet, adscribi non potest, sed potius ab admista atra vel flavabile, vel etiam humore melancholico jam vehementius exusto provenit.

Nam

40. Nam melancholiæ hypochondriacæ duo sunt genera: alii sunt torpidi, ignavi, tristes & meticulosi, in his delirii causa est humor & vapor melancholiæ naturalis: alii jam aliquanto audaciores, & propius ad furorem accedentes res suas & deliria *usq; ad dñs* peragunt; in his melancholia aliquo modo adusta est, vel alii adusti humores permiscentur ei: Quæ jam priore multò pejor, & curatu difficilior, à qua facilis in maniam transmutatio, 6. aphor. 53. & 56.

41. Fiunt autem spiritus animales opaci & atri duobus modis; vel quando tales in cerebro ob ejus depravatam dispositionem, ex sanguine & spiritu vitali etiam bono generantur; vel quando aut spiritus vitalis melancholicus à corde pro spirituum animalium generandorum materia suppeditatur, aut vapores melancholici aliunde in cerebrum evaporantes & ascendentes spiritibus animalibus permiscente, quod etiam in hoc affectu accidit.

42. Quia ergo vapores & spiritus melancholici in hac specie non generantur in cerebro, sed aliunde eó deveniunt, sit ut hoc delirium non sit perpetuum, sed per intervalla recurrit, & tam diu duret, quam diu vapores isti spiritibus animalibus permiscentur, quibus discussis ipsum quoque delirium evanescit vel imminuit, iterumq; redit aut exasperatur, ubi novi vapores ad caput elevantur.

43. Via autem his vaporibus & flatibus melancholicis ad caput perferendis frequentior & accommodatior sunt Venæ cavæ rami, per quos vaporibus facilis patet transitus ex Vena portæ; & arteriæ, quibus lien magnis & multis abundat.

44. Antecedens causa est humor melancholicus in hypochondriis cumulatus. De hoc duo observanda veniunt; cuius sit naturæ, & ubi propriè hæreat.

45. Humorem, qui melancholiæ hypochondriacæ causa antecedens est, melancholicum oportet esse, ē quo vapor congener & ejusdem naturæ ad cerebrum elevari possit. Est autem natura humoris melancholici, ut sit frigidus, siccus, impurus, feculentus, terrestris, excrementitius, & crassus, atque talis humor propriissimè melancholicus appellari potest. Clarissimus & Ex-

& Excellentissimus Sennertus Præceptor meus æternum vene-
randus tract. de scorbut. c. 2. n. 6.

46. Si enim alterius sit naturæ, non jam melancholicum
delirium nudum, sed pro ratione materiæ admistæ symptomata
vel maniacis vel phreneticis similia, excitabit, ita tamen, ut sem-
per melancholica præemineant.

47. Subjectum autem, in quo humor hic stabulatur, sunt
hypochondria. Verùm cum plures partes in hypochondriis
contineantur, lienem præcipue & loca vicina antecedentem
melancholiæ hujus causam continere putamus, cum ægri ple-
rumque in sinistro latere majorem molestiam sentiant: quo ta-
men loco hic humor interdum non est contentus.

48. Quanquam enim lien propria sedes sit humoris me-
lancholici, nihilominus cum nimia copia luxuriat, in hoc visce-
re amplius contineri non potest, proinde in vicinas partes, me-
senterium ac omentum se effundit, atque in Venis mesaraicis
naturalia viscera pererrantibus, in primis ubi plures & maiores
hi Venæ portæ rami versus lienem & ventriculum in sinistro la-
tere tendunt, continentur. Ac omnino si maxima ejus sit copia,
in totum abdomen dispergi potest, graviusq; hoc symptomata red-
dere, quod mitius foret, si in liene tantum vel sinistro hypo-
chondrio contineretur. Excellentiss. Sennertus in prælection. &
Platerus in causa melancholiæ.

49. Porrò humori huic copiosus generando occasio-
nem & materiam præbent potissimum errores in victu, qui hac
nostra ætate satis frequentes, multorumq; gravissimorum mor-
borum & symptomatum fertilissima causa sunt.

50. Imprimis autem quæ crassum, feculentum & tarta-
reum chylum in alimento præbent, multum huc conferunt. Qua-
les sunt omnes cibi difficilis coctionis, viscidi & flatulenti, ut
caro bubula, suilla, aprugna, cervina, leporina: pisces marini,
carnes & pisces sale & fumo durati; cerevisia impura, crassa &
feculenta; Vina austera, non defecata, maximè verò calcario
& tartareo solo provenientia.

51. Quod si ventriculus debilis insuper accedat, multò
promptius humoris melancholici generatio procedet. Etenim

Si robustus s̄æpe ventriculus rebelles & copiā & qualitate cibōs
rectē concoquere nequit, quid fiet, si debilis existat? Quocircā
ea omnia, quæ ventriculum debilitare, ejusque vires immiuere
possunt, inter remotiores causas in hoc affectū meritò locum
habent.

52. Maximè verò malum hoc promovet, auget, graviusq;
redit ventriculi cum Epare & Liene *αὐλίπαξις*, ubi chylum in-
æqualiter coctum & crudum, Epar & Lien calidiora ad se ra-
piunt, tenuiorem & aquosiorem ejus partem citè concoquunt,
inque vapores tenues, non rarò salsos ac acres resolvunt; cras-
fiores verò partes vehiculo destitutæ in Venis portæ & messaraic-
is subsistunt, imò in ipso liene nimis cumulantur, exiccantur,
incrassantur, unde obstrunctiones largissimè proveniunt, quam-
obrem postea aduruntur, inq; vapores tetros & melancholicos
resolvuntur.

53. Inordinata in viētus rationem cæteræ quoque res non
naturales magnoperè adjuvant, malumq; augent. 1. Aer cras-
sus, frigidus, fœtidus, nebulosus, qui pro spirituum animalium &
vitalium ventilatione & nutrimento inspiratione attractus, eos
potius inficit, quam reficit.

54. 2. Quiēs nimia, excrementa in corpore cūmulat, calo-
remq; supprimit & obstrunctiones facit. Hinc literatis quoque
& meditationibus intentis ad mala hypochondriaca aptam di-
positionem largitur.

55. Sie quoque excreta & retenta magnam huic malo oc-
casione præbent: Si nempe ejicienda retinentur in primis
viis, unde Venæ mesaraicæ pro bono chylo inutilem, crassumq;
& feculentum attrahunt succum; aut si vomitus multis certo
tempore consuetus, intermittatur, quem ventriculi debilitas &
alia mala insequi solent. Venus quoque nimia, aut nimis parca
consimilia mala excitare potest. Sed his omnibus potentiore est
hæmorrhoidum (quibus nimirūm antè familiaris fuit) cessans,
vel intempestivè prohibitus flūxus.

56. 4. Calori insuper nostro multūm adversantur vigi-
lia: nimia in multam noctem protractæ, quæ exiccando corpus
nostrum

nostrum refrigerant. Quemadmodum & nec minimam in alterando corpora nostra vim obtinent animi *παθήματα*, quæ maximè hoc malum generare possunt, & ferè semper præcedunt, metus, timor & tristitia, quibus perpetuò ob nullam ferè vel frivolam causa sese ægri macerant, unde virium resolutio, membrorum reliquorum, ventriculi imprimis refrigeratio sequitur, ex quâ cruditates causantur, & excrementa crassiora præter modum cumulantur.

58. Hæ res non naturales corpus suâ naturâ melancholicum aggredientes, faciliùs sicut alias affectiones hypochondriacas, ita & hujus delirii causam introducere possunt. Etenim sine dispositionibus Naturalibus causæ evidentes & res non naturales parum possunt in producendis humoribus, qui morborum & symptomatum causæ fiunt. Clarissimus Sennertus inst. p. 626. & Platerus. Ideoque naturâ tristes, taciturni, cogitatun di, rebusq; agendis nimium intenti faciliùs hoc malo cōcipiuntur.

58. Qui deinde constantis sunt ætatis, aut ad senium declinant, aptiores sunt huic affectui iis, qui succulento corpore juveniles agunt annos, quemadmodum etiam Viri fœminis, quæ menstrua purgatio plerunque securas facit, promptius hoc malum incurront, imprimis quibus nulla hæmorrhoidum vacuatio consueta.

59. Tandem quoque Autumnus, ut omnibus morbis melancholicis, sic etiam Melancholiæ Hypochondriacæ generaldæ aptissimus est. Tunc enim errores præteritæ ætatis in vicetu admissi, se produnt, cum id quod tenuius in illis erat, evaporavit relictis crassioribus partibus, quæ jam prohibitâ liberiore transpiratione magis aduruntur. Hipp. 6. aphor. 56. 3. aphor. 9. 3. aphor. 19. 3. aphor. 22. 3. aphor. 23.

60. Absolutis causis continente & antecedentibus ad signa properamus, quorum alia diagnostica, alia prognostica.

61. Inter diagnostica meritò numerantur delirium, seu absurdarum & falsarum rerū imaginatio sine febre cum tristitia.

B 2

Hipp.

Hipp. 6. aphor. 23. Sunt enim melancholici hi nunquam satis hilares. Petræus p. 60. & sine causa citò in mœstiam incidunt (et si enim circa unum quendam conceptum lœtentur & gaudeant, tamen reliqua non metuenda metuunt) Deinde vigiliis, somnisque turbulentis, & curis inutilibus macerantur, solitudinem amant, omneq; humanae consortium fugiunt, vitamque omnem sibi acerbam putant. Insuper vapores tetri illis ex Hypochondriis ad cerebrum elevantur, ventriculus officium suum in coquendo chylo non rectè exequitur, saepè plura, quam cœquere potest, appetit, flatibus jactatur, & humore aqueo ac seroso abundat, quem ægri saepè, imprimis post pastum ejiciunt, atque ructus acidi, vomitusq; consimiles, Galenus 3. de l. aff. c. 7. ex eodem erumpunt, quæ omnia frigidam ventriculi intemperiem arguunt; in intestinis borborygini & rugitus crebrios exaudiuntur, flatus insuper in ventriculo & intestinis in hoc affectu adeò frequentes sunt, ut flatuosa quoque Melancholia dicatur. Felix Platerus in causa hujus Melancholiæ. Dolor præterea in hypochondriis, præsertim sinistro persentitur, nonnunquam etiam de tumore, maximè in sinistro Hypochondrio ægri conqueruntur.

62. Excrementa alvi horum Melancholicorum plerunque nigriora, duriora, sicciora, boumque exrementis similia apparent, quæ diutius plerunque, quam par est, in corpore retinentur, suâ scilicet siccitate se ipsa impedientia, & licet acriora sint, ita ut naturam ad sui expulsionem facile stimulare deberent, tamen siccitas nimia, ut dictum, ea invita quoque in corpore retinet, dum videlicet ipsis intestinis ita firmiter adhœrent, ut ab iis difficulter divelli queant.

63. Nonnunquam vero contrarium quid accidit, alvusq; nimium adstricta nimium relaxatur, quoniam in hypochondriis plerunque propter obstructiones venarum, aliarumque partium, præter naturam calor interdum satis vehemens adest, augetur totius calor, qui humores in corpore varios fundit, alviique fluxum excitat, in quo interdum misti, interdum biliosi, interdum pituitosi crudi, propter imbecillitatem ventriculi,

inter-



interdum satis ampla humoris melancholici, propter obstruktionem in Mesarraicis & Liene contenti, copia egeritur.

64. Neque etiam urina loco affecto nimium vicina immunis est, sed plerunque turbida, humore atro melancholico permista, nonnunquam etiam citrina & tenuis, materia videlicet crassa in viis subsistente apparet: interdum obscurè rubet, acrior est & mordet, propter admistas crassiores falsasque partes, ut in lixivio fit, sedimentum que talis urinæ plerunque crassum & rubrum farinæ laterum simile ad fundum deponit.

65. Et hæc signa quidem propriè Melancholiæ Hypochondriacæ competunt, quibus tamen non rarò, maximè si malum gravius sit, diutiusq; duret, alia quoque conjunguntur, videlicet reliquorum sensuum læsiones, & aliarum vitalium & animalium actionum depravationes, teste Platero in Causis. Etenim cum hic vapor crassus & melancholicus spiritibus animalibus, qui non solùm iimaginationi, sensibusq; internis, sed etiam externis inserviunt, permisceatur, eorum sensoria certè perturbat, & male afficit.

66. Idcircò aures tinniunt, variisque clangoribus, nunc campanarum sonitus, nunc aquarum impetuose currentium strepitus, nunc molarum fragores, nunc Fabrorum & Opificum turbulentas & sonoras operationes referentibus, percelluntur; Oculi caligant, obscurè ac quasi per nebulam, vel obductum linteolum objecta vident, ipsique ægri, ob vaporem flatuosum organa oculi ingressum, omnia rapi & circumagi putant.

67. Quin imò vapores isti acidis acribusq; qualitatibus imbuti, nervis & membranis se insinuantes, in variis corporis partibus dolorum gravissimorum causa fiunt, sæpe membranas cerebri ita lancingant, ut ægri totam cerebri massam è cranio sibi evulsum iri metuant, sæpè brachiis, manibus, cruribus, pedibusq; ingentes dolores inferunt, inordinatos motus & convulsiones excitant, teste Brunnero in consil. 7. p. 37. & 38. Sæpe membra hæc ad motum tardiora & pigriora ac veluti *ωδρανύτικόν* n sustinentia efficiunt, ut hoc in paralyssi linguae ex humore hoc profecta patet, teste Hipp. 7. aphor. 40.

68. Si verò vapor hic arterias, Venasque transiens ad

cor allidit, illudq; replet, protinus in maximas angustias, querelas, desperationes & suspiria ægros conjicit. Etenim cor vaporem molestum & inimicum maximè sui ipsius & arteriarum motu expellere & discutere cupiens, palpitat, & se defendere conatur, quemadmodum idem symptoma cordis, si accidit ex compressione diaphragmatis, libertatem motus impedit, ac insuper respirationis difficultas supervenit.

69. Imò si invalescant hi vaporess in corde, aut vaporess & humores acriores orificium ventriculi lacent, quod ob nervos sexti paris exquisitissimi sensus est, lipothymia periculosa insequitur, quæ gravissimi affectus indicium est.

70. Non autem necesse est, ut hæc signa omnia in quavis Melancholia hypochondrica concurrant, sed ut variæ partes affectæ, ita varia quoque signa comitantur hunc affectum, illumq; curatu vel faciliorem, si pauca, aut mitiora tantum apparuerint, vel difficiliorem fore significant, si omnia, vel pleraq; aut etiam ex his graviora adfuerint.

71. Restant nunc prognostica; quorum primum sit: Hoc malum curatu difficile admodum est, & diuturnum plerunque, quia cum humor ipse admodum contumax est, & Medicum ferè despicit, ejusq; imperium detrectat, latet enim in Venis Mesaracis abstrusus, & subinde novus ab excrementis assumptorum cumulatur, cui Venæ sectio rectâ mederi nequit; tum quod ratione ventriculi imbecillioris, Epatis calidioris, & humoris crassi, sicciorisq; inter se pugnantes sese offerant indicationes. Nec non ægrotantium errores in victu, & in præceptorum Medici observatione negligentia diuturniorem hunc facit affectum.

72. Majorem quoque Medico difficultatem objicit ipse vapor delirii causa, prout in majori vel minori copia in cerebrum subvolat, ac prout crassior acriorque existit, tunc enim vehementiora symptomata, gravius, diuturniusque delirium excitat, vel alium graviorem morbum exspectare jubet, nec ad eò promptè vel à natura ipsa superatur, vel à medicamentis discutitur.

73. Quemadmodum ut illud delirium difficilime tollitur,

tur, in quo, tractu temporis vel vehementia causa, melancholica dispositio ipsius cerebri substantiae est impressa, & ex Melancholia per consensum jam per essentiam facta est Melancholia, nam ubi metus & tristitia longo tempore perseverant, melancholicum signum est. Hipp. 6. aphor. 23. ubi notandum, timorem & mœstitudinem non tantum ut signum, sed etiam ut causam hujus affectus habere, eò, quod perpetuum humoribus melancholicis præbent nutrimentum.

74. Imò Melancholia diutius perseverans, tandem in maniam degenerare potest, si nempe humor magis aduretur, ut atrabilis naturam induat, tunc ægri solitam ante tristitiam & metum cum risu & hilaritate permutant, quem tandem audacia, furor immanis & truculenta excipit ira. Hujus autem periculosæ permutationis plerunque errores in victu, imprimis potentioris & calidioris Vini usus crebrior, à quo ejusmodi ægri omnimode arcendi sunt, causa existit.

75. Quod si vapores hi, succiç; melancholici copiosius in cerebrum irruant, nervosq; accredine sua & malignitate vellicent, epilepsia metuenda erit. Si verò principia nervorum obstruant vel comprimant, quia crassiores sunt, & tale vitium etiam spiritibus communicent, hæc melancholia in apoplexiā degenerare potest. Hipp. 6. aphor. 56. Qui duo affectus plerunque morte comite adveniunt. Si verò ad opticos nervos secesserint, caligo aut cœcitas sequitur; Si in alias partes, aliòs affectus exitant. Hipp. ibidem.

76. Si verò in Verno tempus hic affectus incidat, Hipp. 3. aph. 20. meliorem de exitu & cura spem concipere licet, quia Verno tempus omnium est saluberrimum. Hipp 3. aph 9. & temperatissimum, nullo notabili excessu peccans, idcirco huic affectui generando nullam materiam, nullumq; præbet subsidium, sed tantum humores agitat, & ad excretionem naturam ipsam stimulat. id quod salutare est, Medicusq; ipsâ simul naturâ strenue operante facilius quod sui officii est, exequi potest.

77. Facilius tamen curatur in principio, cum arceat corporis cerebrum nondum plane possidet. Et enim hostis

hostis minus validi, & omnibus ditionis nostræ angulis nondum
recepti potentiam facilius frangimus, quæm ejus qui arcæ &
propugnacula nostra suis militibus oppressa & oppleta tenet.

78. Faciliorem quoque admittit curationem (quanquam
nulla desipientia secura est) illa melancholia, quæ timorem &
tristitiam non adeò intensam habet adjunctam; nam deliria
quæ cum risu fiunt, tutiora sunt iis, quæ cum studio fiunt Hipp. 6.
aphor. 53.

79. Insigne remedium huic affectui ipsa natura conces-
sit, quæ hæmorrhoides humoris melancolico evacuanda ceu-
proprias canales à liene usque fabricavit, quibus ipsum ægrum,
si fluant moderatè, gravissimis molestiis liberare solet. Quibus
igitur melancolicis hæmorrhoides superveniunt, bonum est.
Hipp. 6. aphor. 11. & 21. Sicuti quoque diarrhoea superveniens,
(modò moderata sit,) plurimum mali aufert Hippocrates 6.
aphor. 48.

80. De curatione pauca hic dicentur, quia practicorum
libri in hoc potissimum sunt occupati & copiosi satis. Sunt au-
tem dogmatici Medici proprium instrumentum indicationes,
quarum triples se in hoc quoque affectu offerunt, Præservato-
ria, Curatoria, Vitalis.

81. Præservatoria respicit tum causas varias humorem
melancholicum producentes, tum ipsum humorem melancholi-
cum, qui crassus, adustus & viscidus est, præter necessitatem in
corpore abundans & obstructiones pariens, quas inflammatio
propter evacuationem & transpirationem prohibitam necessa-
riò insequitur.

82. Et omnino prima & potissima ratio humoris hujus
melancholici, qui vaporem istum atrum, mentis inimicum &
perturbatorem fovet, habenda est, nisi enim hic tollatur, infe-
liciter omnis procedet curatio; Nihilominus, si vehementia
symptomatis requirat, præpostera ratione curatio instituenda
erit, quando videlicet angustia circa Cor & Ventriculum, à va-
pore ascendentè, maxima fuerit, his partibus ante omnia erit
prospiciendum.

Qua-



83. Quatenus igitur hic humor in corpore præter natu-
ram abundat, evacuandus est, quod fit vel purgatione per infe-
riora, vel per vomitum: hic interdum summè utilis, in assuetis
nimirum, & ubi malum jam longius processit atque ventriculum
occupavit; hac enim viâ excrementitia materia in ventriculo,
venis mesaraicis, & liene contenta per vas breve aliosq; meatus
copiosè & commode evacuari potest; id quod initio levioribus
tentare debemus mediis, quæ si parum proficiant, validiora, in
robustis præfertim corporibus, succenturiabimus. Platerus tom.
I. p. mihi n.4.

84. Quoniam verò insignes obstrunctiones huic malo sem-
per conjunctæ sunt, eæ removendæ veniunt; verùm ab initio
purgationibus validioribus malum non modò non mitigabimus
sed insigniter etiam exasperabimus; idcirco lenientia & præpa-
rantia omnino præmittenda sunt. Hipp. 2. aphor. 20. & ratio fa-
cile patet; si enim validiora purgantia exhibemus, quæ à longin-
quis partibus magnam vitiosi humoris saluberram attrahunt, pri-
mis viis ab obstrunctione nondum liberatis, parum aut nihil utili-
tatis, imò plus damni accipiet æger, dum partes naturales & Ve-
næ mesaraicæ majori pondere gravantur & obstruuntur. Ex
præparantium numero sunt, quæ humorem hunc crassum molli-
ter incidunt, & attenuant, & siccum ad contrarias qualitates de-
ducunt, ceu sunt, rad. fœnic. asparag. eryngii. althææ. buglos.
borrag. cichorii. polypod. querni. glycyrrh. herbæ viol. pariet.
malv. mercurial. ceterach. linguæ cervinæ. chamæpith. chamædr.
capillorum ven. beton. hyssopi. endiv. cichor. fumar. cuscutæ. flo-
res borrag. buglos. viol. genist. chamæmel. semina anisi. fœnicu-
li. frida maj. etc. olea chamæmel. viol. fœnic. lilior. albor. Ele-
ctuaria. lenitiv. diacathol. cassia extracta & alia mitiora, ex qui-
bus formulæ remedior. variæ parari possunt, potiones imprimis &
clysteres, qui etiam revulsionis & derivationis nomine Medicis
grati ægrisq; perutiles esse debent. Excellent Sennertus in prælect.
& Platerus p. 115.

85. Obstructionem tollunt etiam ex his prædictis multa &
quæ sequuntur, cortic. fraxini, tamarisci, rad. aperientes, cen-

G

tauriæ

tauri majoris seu Rhapontici vulgaris. Vina medicata in hunc usum peculiariter descripta, quorum pleraq; etiam diuretica, humori melancholico educendo valde accommodata; sed ab initio & hæc parcius adhibenda: sicuti etiam serum lactis caprini nullum damnum afferret, si justo tempore propinetur. His adjungi possunt tremor tartari, tartarum Vitriolatum, chalybs præparatus ad hoc proprium melancholiæ alexipharmacum à nonnullis appellatur: vel limatura Martis in Vino rhenano candens extincta semel atque iterum, qui potus ejusdem ferè cum chalybe præparato potentia est; sicuti etiam eximias suas Vires in aperiendis obstructionibus probat spiritus tartari compositus, seu Mistura simplex. Laudantur præterea acidulæ henis & mesaricarum obstructions reserantes, ut Egranæ, quæ magna in hoc affectu potentia sunt; quibus etiam externa quædam & topica, Emplastrum nimirum, fatus & unguenta ad institutum ritè præparata adjungi possunt.

86. Tandem his ritè peractis paulò fortiora purgantia adhiberi possunt ex mente Hippoc. 4. aphor 9. Sed rarer eorum usus esto, ac insuper neque nimis calida, neque nimis sicca, quæ exiccando & calefaciendo humorum magis adurunt & pertinaciorum reddunt. Excellent. Sennertus in prælect. & Platerus pag. m. 115. Nam semper in curarione necessarius respectus ipsius humoris peccantis partiumq; corporis est habendus; etenim pro illius diversitate & harum conditione remedia cathartica præscribenda erunt. Ex multis hæc sequentia eligi possunt: fol. senæ, epithym. helleborus niger styrensis præpar. syr. de fol. sen. de epithym. de polypod. de pomis R. sabor. confect. hæmech. extract. Hellebore nigri.

87. Quia vero non tantum qualitate hic humor peccat, sed etiam insigni quantitate partibus naturalibus molestus est sanguiniq; in Venæ portæ ramis & mesaraicis contento. præter naturam permistus, Venæ sectio alterum generosum remedium valde conveniret, si ex Venæ portæ ramis fieri id posset; Cum vero ea nullibi nisi in ano pateant, optimum erit, si illic aperiantur, aut hirudinum applicatione sanguis crassus extrahatur iis, quibus

bus tument, aut quibus earum antē hæc fluxus consuetus erat,
nunc verò suppressus, aliâs earum sectio periculo non vacat. Fe-
lix Platerus tom. I. pag. 114.

88. Si verò aliqua totius corporis plethora sit conjuncta,
cutanearum quædam Venarum (quod curationis principium esse
debet, præmissis tamen lenientibus, & primis viis à fæcibus libe-
ratis) in brachio, præsertim verò in cruce aut circa malleolum
secari poterit, cùm credibile sit sanguinem terrestriorem & cras-
siorem, jam tum fottassis Venæ cavæ ramos ingressum, suo pon-
dere ad inferiora vergere; aut si nondum descenderit, ut eò deri-
vetur. In fœminis in hoc affectu uterus sollicitandus est, ut men-
strua diutius retenta dimittat. Platerus l. c.

89. Tandem quatenus viscidus hic humor, est abstergen-
dus; ipsæ verò partes in quibus hæret ac simul Epar in fervorem
præter naturam conjectæ refrigerantibus & humectantibus
alterandæ sunt; priori intentioni inserviunt absinthium, asarum,
scolopend. cortices cappar. tamarisci & similia; posteriori, mul-
ta quæ thesi 84 proposita sunt.

90. In præservatione & hoc probè notandum, perutile
fore, si Medicus in melancholiā & obstruktiones pronis, sin-
gulis annis Verno & autumnali tempore convenientem potiun-
culam exhibeat; aut, quibus licet, hæmorrhoidum moderatum
fluxum moveat. quemadmodum Galenus 6. aphor. 47. glo-
riatur, se plurimos huic malo obnoxios hac ratione liberos &
immunes præservasse.

91. Curatoria indicatio causam proximam & continen-
tem respicit, qui est vapor ille melancholicus cerebrum infestans,
spiritibusq; animalibus sese associans. Hic è cerebro relegandus
& discutiendus, viaq; omnis ei quantum possibile, intercipien-
da. Ac natura quidem per se heterogeneum atrumq; spiritum
hunc aversatur & expellit, verū ut eò citius ab hoste suo libe-
retur, adjuvanda est, quod fit medicamentis flatus discutientibus,
qualia sunt semina anisi, fæniculi, carvi, ammeos, cymini, petro-
selini, apii, radix zedoariæ, crocus. Heurn. method. ad prax.
P. 247. Nec non Vinis medicatis horum virtute imprægnatis.

C 2

92. A-

92. Ascensus ad cerebrum vaporī melancholico prohibe-
tur ligaturis supra umbilicum, & constrictione hypochondrio-
rum; discutientibus & repellentibus fatus, quæ etiam jam mo-
dò sunt proposita. Utilissimum autem erit clysteres sæpius sub-
jicere, qui indicationibus præservatoriæ & curatoriæ satisfacere
possunt, tandem reliquæ in fine sternutatoriis omnino extermini-
nari possunt. Atque curatoriæ indicationi hisce paucis ple-
rumq; satisfaciunt Medici, cum sublatâ causâ vaporis, humore
videlicet, aut sanguine melancholico, cesseret effectus.

93. Vitalis indicatio Virium rationem nos habere jubet.
ita ut, si vires copiosæ sufficient, corpusq; robustum satis sit, illud
validioribus remediis in omnibus affectibus aggredi audeamus,
viresq; in suo vigore conservemus. Si verò eadem deficiant,
mitiora adhibere suadeant, vel cessare ad tempus, & restauranti-
bus ægro subvenire, partesq; affectos roborare; nisi enim Vires
salvæ sint, frustra Medicus circa priores indicationes laborat.

94. Sunt autem partes, quæ confortantibus & roboran-
tibus indigent, duplices; vel mandantes, vel recipientes. Man-
dantes sunt in primis lien, sæpe etiam Epar, & Venæ mesaraicæ:
Recipientes, ante alias omnes Cerebrum & Cor, quibus etiam
ventriculum subjungere liceat, quia & hic insigniter laesus & de-
bilitatus virium restorationem desiderat.

95. Lieni & Epati convenient cichorium, agrimon: he-
patica: taraxac. endivia, sonchus, capillus veneris, passulæ co-
rinthiacæ majores, eupatorium; diarrhod. abba. syrpus de Eu-
patorio, diatrium sant: & alia complura.

96. Cordi conducunt buglos, melis, citria mala, syrpus
acetositi: citri, pomorum redolentium: conserva cardiuben. rosa-
rum. margaritæ, moschus, ambra, aroinat. rosat. theriaca, con-
fect. alkermes, lapis bezoar. pleres archontic. Cordis siquidem
divinus calor, spirituumq; puritas, luciditas & necessaria copia
in antiquo tenore nobis retinenda sunt. Horum etiam plurima
cerebro amica sunt, lucidissimosq; & purissimos animales spiri-
tus generant. Ex his aliisq; remediorum materiis, pro pruden-
tia Medici variæ remediorum formulæ, ceu sunt sacculi, empla-
stræ.

stra, pulv̄eres, epithemata, iunctiones, syrapi, electuaria &c
præscribi debent.

97. Si verò Vigiliæ nimiæ urgeant, temperiemq; cerebri
destruere videantur, ad somnifera & narcotica descendere licet,
quæ tamen summā religione sunt tractanda. Tandem etiam
ventriculum convenientibus remediis internis & externis ad na-
tivam temperiem reducemus, & ad officium suum fideliter faci-
endum compellemus, quod fiet, si à cibo assumpto pepticum
quoddam medicamentum ei offeramus.

98. Diæta nunc postremo loco paucissimis expedienda
venit, quæ magni momenti semper in omnibus affectibus esse de-
bet, quam nisi Medicus ægrivè sedulò observaverint, licet me-
dicamentis strenuè cum morbo pugnaverint, idem tamen erit, ac
hosti uno in loco transitum negare vellent, in altero liberum ac-
cessum concedere. Atque in primis hoc in affectu curando diæta
plurimum valet, ac ferè omnibus tribus indicationibus satisfacit;
conveniens etenim victus ratio causæ morbificæ contrariatur,
ac ne nova generetur providet, simulq; vires & naturam egregiè
reficit, conservatq; potissimum in principio, cum malum ad huc
in herba est.

99. Debet autem victus ex cibis potuq; bonum ac lauda-
bilem succum generantibus institui, qui tenuis substantiæ & tem-
perati sint in calido & humido, & magis ad humidum declinan-
tes; cumq; affectus hic diuturnior plerumq;, neque acutus est,
copiosior, aut certè mediocreis concedemus erit; qualem suppe-
ditant: carnes animalium temperatorum, ut gallinar. pullor. gal-
linaceorum, caponum, turdi, alaudæ, hædorum, vitulorum,
vervecina, capreolina, lepusculorum: Pisces saxatiles in flumi-
nibus rapidis capti, Lucius, perca, &c. ptisana, passulæ, pruna.
Potus sit Vinum tenue caput vaporibus non replens, melissa, bor-
rag. bugloss. corticibus citri conditum, vel cerevisia clara, pro-
beq; defecata exhibeat. Temperata siquidem victus ratio
omnibus affectibus melancholicis perquam conveniens est, te-
staturque Galenus plurimos recentes melancholicos solâ victus
proba ratione se curasse. Reliquæ etiam res non naturales ita-

temperandæ sunt, ut cum humoribus melancholicis & vaporib;
bus bellum ætorum gerere possint.

100. In primis animi *nigritas* prudenter hic regenda
sunt, semperq; à mœstitia & timore avocata ad lætitiam gaudi-
umq; reducenda, ideo amicorum & familiarium ægri jucundæ
conversationses grataq; colloquia, concepta phantasmatæ falsa
mentibus ægrorum sæpius excusserunt. Qui autem ejusmodi
ægris falsas persuasions eximere cupiunt, hoc observare sedulò
debent, ne crebriorem falsæ imaginis mentionem facientes, sem-
per aliena, quibus falsæ imaginis recordatio longissimè alegari
possit, afferant; neque pertinacius, si firmius insanæ menti im-
pressa sit, de ea cum ægro contendant, sed nonnunquam ei assen-
tiantur prudenterque dirigant, & artificiose commento ægrum
ludant; veluti ille, qui Mulieri, anguem sibi in visceribus hære-
re, queritanti, concitato vomitu in subjectam pelvim emortu-
um serpenteum, quasi vomitu ejectum, subdidit, atque sic melan-
choliæ liberavit. Sicuti & alter, qui sibi cornua in capite gestare
visus fuit, cui Medicus cornua cervina alligavit, & serrâ rejecta
ostendit, imaginatione prava evanescente convaluit. Licet
enim in hac specie tota curatio tali stratagemate Medico absolviri
non possit, materiâ in hypochondriis flatibus generandis apta
adhuc restitante; tamen imaginem falsam animis ægrorum pro-
cul dubio Medicus facilius eriperet, ac proinde liberatâ phan-
tasia ratiocinatio de objectis rectius judicaret, simulq; hoc mo-
do expeditior planiorq; sterneretur via recuperandæ integræ sa-
nitati, in qua Medicus ceu sine suo ultimo acquiescit; & nos quo-
que jam subsistimus, Deoque pro benedictis gratias agentes sum-
mas, minus recte dicta sedulà diligentia emendaturi.

Præstantiſ. Et Doctiſ. Dn. Respondenti.

HUMANA vita similis est ferro propè:
Si sæpe ferrum exerceas consumitur,
Exerceas minus; tamen rubigine
Perit. videmus conteri sic plurimos
Exercitatione, nil si exerceas,


Torpe-



Torpedo damni plus parat & inertia;
Quam sudor, atque exercitus diu labor.
Mereris autem calculum mi STEINIGER
Conatibus tuis Sophorum, prælia
Dum docta vigili adire vis solertia.
Contemnis & dulci coronæ nobilis
Spe motus otium. Manet nam talibus
Triumphus, aureo illos transferens poli.
Curru superbos alta ad usque sidera.

autoxediōs faciebat

M. Jacobus Janus Med. Licentiatus.


Non lapi est, qui claret moribus, artibus, ore.
Nescio quī talis STEINIGER esse queas
Non tale admittunt, queis multa laude vigescis,
Os, mores, artes, singula summa petunt.
Ore sonas loqueri q̄ handvana, sed acta probata,
Rerum gestarum gnarus & ipse clues.
Moribus eximiis decoratus vivis adusq;
Constanter linguâ, pectore, mente probus.
Artibus ingenuis clarescis, pulpita surgis
Publica, doctrinæ nuncia certa tue.
Fors lapis inde tibi cessit, quod fortior omnis
Affectu, ut nullus vincere te valeat.
Non turbant animum affectus nec sistere possunt.
Quin potius fistis, quæq; nocere volunt.
Nunc morbum, quem forte ater tentaverat humor,
Insigni studio sistere (siste) studes.
Si lapis in duris, vincas mala dura per artes,
Ore, (ut in auditus) moribus, arte ferax.

Lm^g,
Amicitiae ergo
applaudens.

M. Johannes Schärfius Halberstad. Saxo,
Facult. Philosoph. Adjunctus.

05 A 401



VDN7






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-583903-p0028-1

DFG

Farbkarte #13



18

CENTURIA
POSITIONUM MEDICARUM
De
MELANCHOLIA
HYPOCHONDRIACA,
Quam
CHRISTO ARCHIATRO COELITUS
ADSPIRANTE
Consensu Amplissime & Honoratissime
Asclepiadea Familie
In Illustri Academia Wittebergensi
SUB PRÆSIDIO
Clarissimi & Excellentissimi Viri,
Dn. MAURICII BLUMII, Philosophiae
& Med. Doctoris eximii, Fautoris & Promotoris
sui plurimum observandi
Placida & publicæ examinationi submittit
JOANN-ALBERTUS STEININGER Ratisponensis
In Auditorio Medicorum horū matutinū ad diem 29. Xbris
Anno 1625.

WITTEBERGÆ,
Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI.